

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Cobabus Georg Heiligenröffer

**Disputatio Analytico-Theologica, Super partem posteriorem Capitis primi
Epistolae Ad Romanos Exhibens Pauli Apostoli dissertationem De Statu Et
Ratione Status, Graecorum, velgentilium, & Atheorum, in Iudicio iusti, summi
iudicis**

Rostochi[i]: Richelius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740045776>

Druck Freier  Zugang



RU theol. April 1666

Cobabus, Mich.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740045776/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740045776/phys_0003)

DFG

15

DISPUTATIO
ANALYTICO-THEOLOGICA,
Super partem posteriorem Capitis primi
EPISTOLE AD ROMANOS
Exhibens 13
Pauli Apostoli dissertationem
DE
S T A T U
R A T I O N E S T A T U S ,
Græcorum, vel gentilium, & Atheo-
rum, in Judicio justi, & summi judicis.
Quam,
Divinâ favente gratiâ
PRÆSIDE
MICHAEL COBABO,
Th. D. & P. P.
publicè ventilandam proponit
GEORGIUS Heiligendorffer/
Rastenb. Borussus
In Auditorio Majori die Aprilis.



Rostochi, Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.
Anno 1566 LXVI.

1666

DISPENSATIO

ANALYTICO-THEORETICA

SPECIALLY DEDICATED TO THE CAPTURE OF

ESTONIA AND ROMANIA

BY

DE
BARTES

PUBLI ABOGII DILECTISSIMO

STATU

RATIONE STATU


ORATIONIS, VENATIONIS, & AMO-

RE, IN LATINA LITERA, ET ALMANACIO,

ETC.

DIVINITATIS GLORIE

MICHAEL COBAZO



GEORGII QUADRIGI

REGII CATHOLICI

ADDITIONES HISTORICAS

FRANCISI PEGORARIUS, ET S. F. B. DE

LAURENTIUS



Ustitia, qvâ homo ih Christum verè credens in Judicio DEI justificatur; *primò* non est Justitia inhærens, vel habitus gratiæ, & charitatis infusus, sive rectitudo qvædam interna, qvâ homo rectè ordinetur erga DEUM, & proximum. Nam justificatio propriè dicta definitur in S. Sacra non per Justitiæ habitualis, vel charitatis infusionem; sed per gratuitam justitiæ Christi imputationem, & peccatorum remissionem: Justitia verò inhærens imputationem justitiæ Christi, & non imputationem peccati seqvitur, estq; admodum imperfecta, multisq; nævis obnoxia, nec redit ad pristinum nitorem, qvem habuit in primo parente ante lapsum. Etsi enim renatus peccati originalis suggestionibus non obsequitur, neq; ei præbet membra arma iniquitatis, sicuti factum est in Statu corruptionis; ea tamen est carnis nostræ proclivitas ad malum, propter peccatum inhabitans, ut, nisi frœno Spiritus perpetuo coercente, ex uno in aliud malum præceps feratur. Nam renati omnes cum Paulo fatentur, se esse Carnales Rom. 7. v. 14. imperfectos, Phil. 3. v. 12. Carnalem autem, sive imperfectum esse, & rectitudinem habere internam, qvâ renatus rectè ordinetur erga Deum, & proximum, vel in foro divino formaliter, & intrinsicè sit Justus, sicut pugnantia: prius est scripturæ, posterius Pontificiorum, & falsissimum.

Secundò Non est Justitia actualis, vel rectitudo bonorum operum externa. Nam (1) Negato actu primo,
A 2 vel justitia

AD ROMANOS.

vel justitia habituali, & inhærente, qvâ Pontificii, credentes apud Deum justos esse, pronunciant, justificatione prima, negatur qvoqve actus secundus, vel justitia actualis, qvâ Pontificii, credentes, dicunt, justos esse apud DEUM justificatione secunda.

2. Renatus, vel fide justificatus non operatur, ut apud DEUM sit justus justitia actuali. Nam renatus non habet justitiam concreatam, vel originalem, eiq; obstaculo est peccatum inhabitans, qvò minus operari possit, ut ex operibus justificetur in conspectu Dei. Abrahamus est credentium pater, ille verò non operatus est, ut per Justitiam operum esset Justus apud DEUM, & hæres futuræ gloriæ; Ei autem, qvi non operatur, ut justus sit per justitiam actualem in conspectu Dei, credit autem in eum, qvi justificat impium, ut in foro divino justus pronuncietur, imputatur fides, vel justitia fide apprehensa ad Justitiam Rom. 4. v. 5.

3. Abrahamus in conspectu DEI justus est pronunciatus, & justificatus. Scriptura autem non dicit, ipsum apud DEUM justificatum esse ex operibus. Nam Scriptura dicit, Abrahamum credidisse, illudq; ei imputatum esse ad justitiam; credere autem, ut justificemur apud DEUM, & vitam æternam conseqvamur: & operari, ut justificemur apud DEUM, & vitam æternam conseqvamur, sunt opposita. Nam credenti, ut justificetur, & salvetur, merces imputatur ex gratia; operanti verò sc. perfectè, ut justificetur, & salvetur, merces imputatur ex debito Cap. eod. v. 4. Qvicunq; igitur in oculis DEI justificatur, ille vel ex gratia, vel ex operibus justificatur. Si ex gratia, non etiam ex operibus, alioquin gratia non est gratia. Nam qvod ex gratia datur, merum donum est, si

verò

CAPUT I.

verò ex operibus, non etiam ex gratia, alioquin opus non
est opus. Rom. II. 6.

4. Abrahamus est beatus, Scriptura autem non dicit:
Beatus est, cui DEUS imputat justitiam actualem, vel ju-
stitiam bonorum operum; sed beatus est, inquit, cui De-
us imputat justitiam absq; operibus Rom. 4. v. 6.

5. Abrahamo & semini ejus facta est promissio salu-
tis, & vitæ æternæ, Scriptura autem non dicit, Abrahamo
& semini ejus facta est promissio salutis per legem, vel per
bona opera, & justitiam actualem. Nam Abrahamo, in-
quit, & semini ejus facta est promissio non per legem, ut
esset hæres mundi futuri vel vitæ æternæ, sed per justitiam
fidei cap. eod. v. 13.

Exclusa igitur Pontificiorum justitiâ inhærente,
vel habituali, eorumq; justitiâ, actuali, vel bonorum o-
perum, alia reqviritur justitia, qvâ homo justificatur in
conspectu DEI: Hæc est Christi justitia, qvæ fide apprehen-
sa fit nostra, non inhæsivè, & formaliter, sed imputativè,
& moraliter.

Si qværitur, in qyonam principio hæc justitia reveletur? Resp. Cap. I.
Apostolus Cap. I. Ep. ad Rom: *In Evangelio revelatur justitia DEI,*
qvod i. proponit vers. 17. 2. Explicat, qvòd justitia DEI, qvæ in v. 17.
Evangelio revelatur, & credenti imputatur, sit justitia ex fide in
fidem. 3. Probat testimonio Prophetæ Habacuc, qvòd justitia
Dei, vel justitia ex fide in fidem in Evangelio reveletur. *Nam scri-*
ptum est: scilicet in Evangelio, qui ex fide justus est, vivet, qvod pro-
ponit: v. eod. ubi Apostolus docet, credentes fide apud Deum ju-
stos esse, non verò principaliter, & meritorie, sed objective, orga-
nicè, & apprehensivè, qvarenus fides pro objecto habet justitiam,
& obedientiam Christi, eamq; apprehendit, tanquam fundamen-
tum, & rationem certam, & infallibilem, in iudicio divino consi-
stendi. Nam fides justificans subordinatur imputationi justitiae

AD ROMANOS.

Christi, non per modum causæ sociæ, neque per modum dispositionis supernaturalis, quæ hominem præparet ad recipiendum iustitiam, vel charitatis habitum. Sed per modum instrumenti, à Deo ordinati ad apprehendendum, nobisq; applicandum Christi meritum, ut illius intuitu, & virtute DEUS ex mera gratia & misericordia in suo iudicio nobis peccata remittat, eaq; regat, & non imputet. Nullum enim datur aliud instrumentum, quo beneficia Christi humano generi acquisita, apprehendere, & intrinsecus illa nobis applicare possumus, præter fidem salvificam. Fides autem non ex iudeo, & sua dignitate, sed objectivè, vel vi meriti Christi, quod apprehendit, justificat.

Qvibus propositis, aggreditur Apostolus doctrinam scitu summe necessariam, & utilissimam, qvippe qvæ agit de statu hominis in iudicio justi, & summi iudicis, & Ratione illius status. Cum autem alii homines sint manifesti peccatores, quales fuerunt Græci. Alii hypocritæ, & Pharisæi: Alii in Christum verè credentes, de iliorum omnium statu in iudicio, vel in conspectu Dei, & Ratione illios status, ordine differit. Primo de Gracorum & Atheorum, qvi sine DEO in hoc mundo vivunt cap. 1 à vers. 18. usq; ad finem illius capitil. Secundo de Pharisœorum, & hypocitarum cap. 2. & part. prior; capitil 3. Tertio, de fidelium, vel in Christum credentium, parte posteriori capitil tertii, & cap. 4. Si igitur qværitur, an Græci, vel Gentiles, & Athei, qvi ignorarunt iustitiam in Evangelio revelatam, sicut excusabiles in iudicio justi, & summi iudicis; Contradicens illud affirmat, Apostolus vero illud negat, & contradicentis objectiones latisevidenter confutat.

Objectio I.

Græci ignorarunt iustitiam DEI, vel iustitiam apud DEUM valentem, & in Evangelio revelatam.

E. Græci apud DEUM, vel in iudicio justi, & summi iudicis sunt excusabiles.

Resp.

CAPUT I.

Resp. Argumentum invertendo.

Græci ignorarunt justitiam DEI, vel justitiam apud Deum valentem, & in Evangelio revelatam.

E. *Græci apud DEUM, vel in judicio summi, & justi judicis non sunt excusabiles.*

Conseq: probatur, qvæ Græci suâ culpâ, & vitiâ ignorârunt justitiam Dei, nam veritatem detinuerunt in injustitia. Ignorantia igitur, qvæ Græci ignorarunt justitiam Dei, est ignorantia adscititia, voluntaria, & pravæ dispositionis, qvæ ignorarunt, qyod datâ operâ nescire voluerunt.

Objec^tio II.

Græci ignorarunt, quod detinuerint veritatem in injustitia,

E. *Græci sunt excusabiles apud DEUM, vel in judicio summi Judicis.*

Antecedens probatur. Nam Philosophi gentiles sciverunt quidem, se veritatem detinere; ignorarunt autem, se veritatem detineret in injustitia. Nam Rationi Status, & Reipubl. saluti valde pernitosum, sibiq; periculosum esse arbitrati sunt, si veritas, vel cognitio veri Dei non detineretur veluti captiva, & populus in religione suâ, & cultu superstitione turbaretur, eiqvæ certis argumentis manifestaretur, qvô paciō ratiocinando per res creatas Deum verum qvarerent, & gradatim ascendendo pederentim ad unius Dei notitiam pervenirent. Qvæ igitur veritatis detentio Rationi Status, & Reipubl: fuit salutaris, illa non potuit esse injusta, & iniqua.

Resp. Ap. ad antecedens Neg. *Revelatur enim ira Dei è cælo adversus omnem impietatem, & injustitiam hominum, qui veritatem detinent in injustitia* qvod prop. v. 18. ubi Apostolus docet (1) impium & v. 18. *injustum esse, veritatem detinere.* Ratio igitur Statūs, qvæ veri-

tas de-

AD ROMANOS.

tas detinetur, est impia, ac injusta, & utramq; legis divinæ tabulam iniqvissimè violat. (2) Iram DEI è cœlo manifestari omni homini, veritatem detinenti in iniquititia. Revelatus autem ira Dei primò internè per legem naturæ, nam lex iram operatur, sc. in hac corrupta natura, qvia per legem est agnitus peccati cap. eod. Nam cogitationes, bono omisso, & malo commisso, se mutuò acculant, cap. 2. v. 15. Qvare officium terrendi, & accusandi Evangelio non tribuendum est, qvia iram DEI adversus peccata manifestare, est maledictionem denunciare peccatoribus, qvod sit, non Evangelii, sed Legis vox, per quam Græcis ira Dei est revelata, & ante oculos posita. Secundò externè variis poenis cum publicis tum privatis. De hujusmodi ira divinæ è cœlo manifestatione Hesiodus Ethnicus, & Poëta antiquissimus à multis seculis ante Christum natum lib. I. Georg. ad Græcos ita concionatus est.

Oī: ἢ ὅτες μέμναντον καὶ χετοίσθησαν
Τοῖς ἢ δικλειστρούσι τοπογραφημένοις εἰσεντα ζεῦς
Πολλάκις καὶ ξυμπόνει πόλεσι κακοῖς μερόπεσ ἐπανυπᾶν
Οὐαὶ ἀλιτραινούσι καὶ πόσθαλοι κακαράσιοι:
Τοῖς ἢ σεργούσθεν μέγιστοι πῆγαν κεραυνούσι
Διπέδων ὄμοις καὶ λαμπρὸν δονθινούσις ἢ λαοὶ. &c.
At quibus injuria curæ est mala, & improba opera
His poenam Saturnius destinat latè videns Jupiter
Sæpè etiam tota urbs mali virti poenam luit,
Qui injustè agit, & nefaria machinatur,
His de cœlo magnum induxit malum Saturnius
Famem, simul & pestem. Pereunt autem populi. &c.

Si igitur è Cœlo, vel Ethnico docente, manifestatur ira DEI contra impietatem, & iniquitatem, hominis nefaria machinantis, cur non miserè trepidas ô homo, cum aliquod ira divinæ indicium sese profert, nec te retrahis, ac cohibes ab ira summi judicis provocanda. Ratio Statūs in foro divino peccatorem non excusat. Noli igitur diutius animum gerere à veritate alienum. Quo magis tu veritati manifestandæ obsistes, eò vehementius divinæ

CAPUT I.

vinæ majestatis ultiō tuam conscientiam percellet, neque inventies latebras, qvibus te abscondes à Domini furore, & excandescientiâ. Vindictam DEUS exigit sine Personarum respectu, & peccatores justo iudicio coeret. Impios, & injustos veritatem iniquissimè detinentes etsi DEUS in hoc mundo ad tempus florere, & quietem cum dignitate obtinere permittit; probos vero, & veritatis amantes multis rebus adversis jactari, impiorumq; iniqvitate premi, injuriis concuti, calumniis opprimi, & contumeliis probrisq; lacerari: est tamen suæ iniquitati, & injustitiae vindicta reposita. Nam veritati qui non obtemperat, sed injustitia, super illum erit excandescientia & ira Rom. 2. v. 9. Hujus tanta est magnitudo, & atrocitas adversus injustitiam, ut cogitando illud nemo asseQUI, multò minus verbis explicare possit. Qvis igitur stabit ante faciem indignationis Domini? qvis consistet in ira furoris ejus peccata dissolutæ sunt ab ea.

Objectio III.

Graci ignorarunt DEUM.

Ergo Graci sunt excusabiles in iudicio summi iudicis.

Resp. ad antecedens Neg: qvia τὸν θεὸν τὸν οὐκ εἰδότες, vel illud, quod de Deo cognoscitur manifestum est in illis. Qvod (1) proponit v. 19. Ubi v. 19. per τὸν θεὸν τὸν οὐκ εἰδότες intelligitur cognitio DEI, vel aeternæ potentiaz, & divinitatis, aliorumq; attributorum Dei, qvæ ethnicis potuerunt esse nota ex lumine naturæ, atqve admirandis DEI operibus per viam causalitatis, eminentiaz, & negationis. Nam subjectum, de quo Apostolus hic loquitur, sunt Gentiles, sicuti docent prædicata, & series, vel nexus ipsius contextus.

2. Prob: seq. Argumentis.

Primum Argumentum Apostoli.

Gracis DEUS manifestavit τὸν θεὸν τὸν οὐκ εἰδότες

E. Gracis τὸν θεὸν οὐκ εἰδότες est manifestum.

B

Antece-

AD ROMANOS.

Antecedens prop. v. eodem. DEUS enim ipsis manifestavit: Ubi Apostolus loquitur de manifestatione interna, quæ dicitur σύμφυτη, vel innata, & sit per principia naturalia, vel legem naturæ, cuius notitiam, simulacrum ratio sese exerit, nemo diffiteri potest. Ex hoc fonte Græci hauserunt præclaras vitæ, & morum leges, utillesq; commone factio[n]es de morum gubernatione profuturas ad consuetudinem vitæ, & judicandum de communibus hominum officiis. Quamvis igitur Atheus hanc naturalem lucem extinguere, & suffocare conatur, id tamen facit contra conscientię dictamen, quo detegitur, impios reformatum aliq[uo]d numen in flagitia hominum animadversum. Nam opus legis scriptum est in cordibus ipsorum Rom. 2 v. 15. Neque dici potest hominis stuporem eò usq[ue] invalescere, q[uo]d DEUS ipsum non nunquam retrahat ad suum tribunal: Nam cogitationes impii sese mutuò accusant cap: eod. v. 15. Quid hoc aliud est, quam per manifestationem internam, vel legem naturæ peccatorem accusantem ad summi judicis, à cuius metu nemo sese extricare potest, justissimum tribunal trahi? quamobrem cordibus Græcorum insculptus est aliquis divinitatis sensus, non verò idealiter, sed naturaliter per naturæ instinctum, & dictamen.

Secundum Argumentum Apostoli.

Gracis sunt nota in visibilia DEI.

E. Gracis r[ati]o γνωστή θεος est manifestum.

Antecedens i. explicat. Nam docet, q[uo]d per invisibilia DEI intelligatur æterna DEI potentia & Divinitas. 2. Probat primò ex effectu DEI, nam invisibilia Dei, vel æterna DEI potentia, & divinitas à creatione mundi ex operibus animadversa pervidetur, q[uo]d proponit vers. 20. ubi per minuta, vel opera non intelliguntur miracula Christi, & Apostolorum, sed innumera illa, cùm in cœlo, tum in terra vestigia, & documenta, quæ admirandam DEI beatitudinem, æternam potentiam, & divinitatem, omnium confessione, aperte declarant, & cujusq; idiotæ aspectui sese ingerunt, adeò enim

CAPUT I.

enim illa cuivis sunt obvia, ut oculis notari, & digitis facile monstrari queant. Nam in ipso mundi opificio, & amplissima coeli machina non secus ac in tabulis depicta sunt æterni DEI specimina, quibus universum genus humanum in sua agnitionem miris modis rapit, & allicit, ut tanquam ex rivulis educatur ad ipsum fontem, è quo omnium bonorum affluentiam hauriat. *Quis, inquit Hilarius mundum intuens Deum esse non sentiat.* *Quæ est, inquit Cyprianus, hac summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Secundò è causa finali notitia naturalis, quæ est, ut nemo in judicio DEI sit inexcusabilis, quod proponit v. eodem. *'Eis τὸ ἀναγκαῖον τὸ ἀναλογήτον, id est, ut illi sint inexcusabiles.*

Qvibus propositis, Apostolus ita colligit, & concludit.

Græci DEUM, ut DEUM non glorificarunt, neque ei gratias agerunt.

E. *Græci sunt inexcusabiles in judicio summi Iudicis.*

Conseqvens prob: qvia Græci sciverunt DEUM esse, quod propon: vers. 21. *Δοῦ γένες πρόθετον,* propterea sc. Græci sunt inexcusabiles apud DEUM, qvia sciverunt DEUM esse, cumq; liberè agere, & providere rebus humanis. Nam alioquin Græci Philosophi ab Apostolo non reprehenderentur, quod DEO gratias non egerint, siquidem gratiarum actio non debeture ei, qui operatur ex naturæ necessitate, sed qvi beneficia nobis liberè confert, cum sit in ejus potestate ea non conferre. Nulla ait Cicero lib. i. de natura Deorum, est tam barbara natio, nulla gens tam effrenata, cui non insidiat persuasio, DEUM esse. Si igitur notitia naturalis finis est, omnes homines ad Deum colendum, & glorificandum, ex pergefacere, mentemq; hominis cogitatio de Deo subire nequit, quin simul cogitet, quod ipsi vitam omnē debeat, & qvicquid agat, ad ipsum referri oporteat, extra omnem controversiam positum erit, Græcos omnesq; Atheos agnoscere nolentes, quem ignorare nequeant, in judicio divino ab omni probris excusatione exclusos esse.

v. 25.

B 2

Ante.

AD ROMANOS.

Antecedens: 1. propon. v. eodem. Non ut Deum glorificarunt,
neque eigratias egerunt.

Ubi primo glorificare DEUM, est DEO gloriam tribuere, agnoscere, & fateri, qvòd ipse verè sit DEUS, sapiens. æternus, bonus, justus, omnipotens, conditor mundi: &c. & præter ipsum non alias DEUS sit.

Secundò gratias DEO agere, est agnoscere, qvòd DEUS verè nos curet, exaudiat, & juvet rectè invocantem; divinam bonitatem, & potentiam celebrare, eiq; sese reverenter, & humilimè cum timore, & amore submittere.

2. Probat. Nam si Græci DEUM ut Duem glorificassent eiq; gratias egissent, in ratiocinationibus suis non essent vani facti, neque desipiens ipsorum cor obtenebratum fuisset. Verum enimvero in ratiocinationibus suis vani facti sunt, & desipiens ipsorum cor est obtenebratum. Positè igitur vanitate in ratiocinando, & obtenebratione cordis, non potest ponai DEI glorificatio, & bonitatis illius agnitus, qvod proponit vers. eodem verùm vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est insipiens ipsorum cor. Ubi Apostolus docet, qvod 1. Græci Philosophis obstiterit vanitas in ratiocinando, qvòd minus DEUM ut DEUM coluerint, & adorarint, 2. vanitas in ratiocinando sit causa excæcationis, & insipientiæ cordis, quam Græci suâ Ratione Status, suis vanis speculationibus, superstitionâ, & audaci curiositate, atque libidine, commenta hominum sciendi, ut nominis sui famam ambitiousè extenderent, sibi ultrò accersere non sunt veriti.

Objectio IV.

Græci fuerunt sapientes.

E. Græci non sunt vani facti in ratiocinationibus suis, neque ipsorum cor fuit insipiens, & obtenebratum.

Conseqvens probatur: qvia sapientia, & vanitas in ratiocinando, vel cordis insipientia sunt opposita.

Resp. ad Antecedens primo distinguendo inter sapientem dici,

CAPUT I.

ci, & sapientem esse. Secundo Negando, quod Græci fuerint sapientes. Nam Græci Φάσκοντες, vel dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt, quod i. proponit v. 22. ubi Apostolus docet, Græcos quidem sibi multa tribuisse, ob rerum arcanarum, & sublimium contemplationem; à vera autem sapientia longissime aberâsse, & propterea ad extremam stultitiam delapsos esse.

v. 22.

2. Probat seq: Argumento.

Græci dicentes, se esse sapientes, mutarunt gloriam DEI incorruptibilis in simulacrum imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.

3. Græci dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt.

Antecedens proponit: vers. 23. & mutarunt gloriam Dei incorruptibilis in simulacrum imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.

v. 23.

Ubi Apostolus docet, Græcos datâ operâ degenerâsse à vera Dei notitia, cum eò dementiæ progressi sint, ut in cœlum, quod Dei gloriam ipsis debebat enarrare, subvexerint Herculem, Cassiopeam, Scorpium, Draconem, Uras, Aves, Serpentes &c. totamq; illius machinam horrendis, & turpissimis segmentis conspucârint, atque Dei veri, & æterni loco effinxerint Deos alienos, eisq; attribuerint opera, & cultum soli vero Deo debitum. In Philosophia etsi Philosophi non invenerunt, quô paciō terrores mortis, peccati, & legis accusantis vincent, & latitudinem in DEI gratia acqvescentem conciperent, satis tamen præfidii adversus omnes dolores, & angustias in ea sibi exhiberi, existimârunt. O vita Philosophia Dox! exclamat Cicero, tu vitæ tranquillitatem nobis largita es, & terrorem mortis sustulisti. Verum pavoribus & ærumnis oppressi prorsus succubuerunt. Nemo illorum dixit: Non moriar, sed vivam; nemo cecinit: In te Domine speravi, non confundar in æternum. Ita insipiens Græcorum cor fuit obtenebratum, ut sapientiam mundi hujus, & dominatorum mundi hujus freti, dixerint, se esse sapientes, potentes, & nobiles; illos autem, qui prædicarunt veram sapientiam, esse stultos, infirmos, & insipientes. Nam sermo de eruce ipsis erat stultitia i. ad Corinth.

B 3

I. V. 23.

AD ROMANOS.

1. v. 23. Stultitia autem Dei sapientior est, qvām homines: & infirmitas Dei validior est, qvām homines.

Objectio V.

Græcos DEUS absolute rejicit.

E. Græci sunt excusabiles in iudicio summij judicis.
Antecedens probatur sequentibus argumentis:

Primum Argumentum Contradicentis.

Græcos Deus tradidit cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fædarent corpora sua in semetipſis.

E. Græcos DEUS absolute rejicit.

Resp. Argumentum invertendo, Græcos DEUS tradidit cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fædarent corpora sua in semetipſis.

E. Græcos DEOS non absolute rejicit.

Conseqvens probatur sequenti Argumento:

Græcos DEUS propterea tradidit cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fædarent corpora sua in semetipſis, quia mutarunt gloriam incorruptibilis DEI in simulacrum imaginis incorruptibilis hominis, & volucrīum. Sc.

E. Græcos DEUS non absolute rejicit.

Anteced. propon. v. 24. διὸ καὶ μερόδωκεν αὐτοὺς. Propterea v. 24. esiam tradidit illos DEUS cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fædarent corpora sua inter se.

Ubi verbum μερόδωκεν non sumitur positivè, quasi DEUS inclinasset Græcorum voluntatem, ut foedis libidinibus contaminarent corpora sua, eorumq; mentibus instillasset qvandam impuritatem. Nam peccatum non velle, & mentibus Græcorum instillare pravitatem, vel illorum voluntatem inclinare ad peccandum sunt

CAPUT I.

sunt opposita. Prius est scripturæ: Posterior est absurdum. Defectus igitur Græcorum, qvo defecerunt ab ordine, primi agentis, est ab ipsis Græcis. Nam semetipso tradiderunt lascivias, ad patrandam immundiciem omnem cum aviditate. Eph. 4. v. 19. Deus neque Physicè movendo immediatè voluntatem, neque moraliter verè, & propriè imperando, Græcos tradidit eupiditatibus pravis. Tradere igitur h. l. est permettere. Nam DEUS præteritis ætatis permisit omnes gentes ingredi viis suis Act. 14. v. 16. Permissio autem Dei in malo culpæ actum negativū propriè importat, & refertur ad peccatum, qvia illud Deus non vult, nec approbat, sed permittit. Voluntas verò Dei ad finem, vel bonum, qvod Deus ex mala actione pro sua divina sapientia elicere novit. Licet enim Deus non velit, nec adjuvet, nec efficiat peccatum, determinat tamen metas, qvousq;, & qvamdiu illud sit permisurus, quando, & ubi sit repressurus impios, & injustos, multasq; impiorum cogitationes, consilia, & instituta impedit, & reprimit. Finis permissionis Dei pro diversitate objecti, est diversus. Si objectum illius sunt afflictiones, ærumna, vel castigationes, finis permissionis Dei est virtutis illius, qvi affligitur, manifestatio, & humilitatis exercitatio: Sinit enim Deus freqventer justum incidere in calamitates, ut virtutem, qvæ in illo lateat, aliis apertam faciat, & ex rectâ conscientiâ non excidat. Si verò objectum permissionis Dei est peccatum, vel malum culpæ, finis illius est justitiae divinæ demonstratio, & aliorum correctio, & emendatio. Quemadmodum igitur Deus inducit in tentationem permissivè (nam Deus sinit nos tentari. Cor. 10. v. 13. Nemo dicat, cum tentatur, se à Deo tentari, sed unusquisque tentatur à propriâ concupiscentiâ Jac. 1. v. 14.) ita quoque tradere hic permissivè est accipiendum, siicut docet S. Ambrosius, vel Auctor comment. in Epist. ad Romanos.

Secundum Argumentum Contradicentis,

Græcos Deus tradidit in passiones ignominiae.

E. Græcos Deus absolute rejectit.

Antece-

AD ROMANOS.

Antecedens 1. proponitur implicitè 2. Prob. ex effectu Græcorum.

Nam primò fœminæ illorum transmutarunt naturalem usum in

v. 26. eum, qui est præter naturam, quod proponit v. 26. Secundò Ma-
sculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt suâ libidine alius in
aliam, masculi in masculos, fœda perpetrantes, quod propon:

v. 27. v. 27. In tam horrenda flagitia cœco impetu delapsi sunt Græci,
ut oculi, & aures castorum ab illis abhorreant.

Resp. Apostolus argumentum invertendo.

Græcos Deus tradidit in passiones ignominia.

E. Græcos Deus non absolute rejicit.

Conseq. prob. seq. Arg.

Primum Argumentum Apostoli.

Græcos Deus propterea tradidit in passiones ignominiae,
quia veritatem mutarunt in falsitatem, & venerati sunt, &
coluerunt res conditas, præterito creatore, qui est benedictus
in secula Amen.

E. Græcos Deus non absolute rejicit.

Antecedens propon. v. 25. & 26. Propterea tradidit Deus Græcos in pas-

v. 25. siones ignominiae, quia mutarunt veritatem in falsitatem, & venerati sunt,
& coluerunt res conditas præterito Creatore, qui est benedictus in secula
Amen.

Ubi Apostolus docet, quod causa, propter quam Deus Græcos
tradidit in passiones ignominiae, sit 1. Veritatis in falsitatem mu-
tatio. Mutare autem veritatem dicitur à mutabilitate, quæ est
circa intellectum, intellectus autem veritas habet conformitatem
cum re intellecta. Mutarunt igitur Græci veritatem DEI, qua-
tenus illorum intellectus fuit mutatus in falsitatem, quando veros
de Deo conceptus, cum in nobis per principia naturalia reliquos,
tum ex creaturarum inspectione, & contemplatione haustos, per
stultitiam suam suffocarunt, & ad idola pessimè converterunt. Et si
enim omnes invitabantur per naturam, ut secundum rationem ex
communibus principiis procederent ad specialia (nunquam enim
fieri

CAPUT I.

fieri potest, ut principia universalia, & omnibus nota è cordibus hominum prouersus deleanatur) attamen propter pravam concupiscentiam, pessimas hypotheses, malam educationem, consuetudinem corruptam, habitus vitiosos, & Rationem Status perversam factum est, ut lex naturalis sit deleta in applicatione, & particulari operabili, atque ratio impedita sit applicare commune principium, & legem naturæ ad particulare operabile, sonusq; Prophetarum contemptim sit habitus. 2. Supersticio, & Idololatria, qvia venerati sunt Græci, & coluerunt res conditas, præterito creatore, qvi est benedictus in secula, Amen.

Secundum Argumentum Apostoli.

Græci mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis receperunt.

E. Græcos DEUS non absolute rejicit.

Consequens probatur. Nam ἀελπία στήσια significat mercedem merito respondentem, & hoc loco relationem habet ad peccatorum merita, qvibus Græci sunt meriti, ut à DEO rejicerentur.

Antecedens 1. proponit v. 27. Et compensationem, quam oportuit erroris sui in semetipisis receperunt. 2. prob. seq. Argumento.

Græcos DEUS tradidit in mentem judicij expertem, ut facerent, quæ minimè conveniunt, quia non probarunt DEUM in agnitione habere.

E. Græci mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipisis receperunt.

Antecedens 1. prop. v. 28. Et sicuti non probarunt DEUM v. 28.
babere in agnitione, ita tradidit illos DEUS in mentem judicij expertem, ut facerent, quæ minimè conveniunt. Ubi Apost. docet, qvòd causa, propter qvam Græci in reprobam mentem sunt traditi, sit contemptus agnitionis veri DEI; ἀδόκημος verò, vel reprobadicitur mens activè ab habitu malitia acquisito, qvà vis judicij, & rationis in mente Græcorum, vel atheorum ita fuit corrupta, & obte-

AD ROMANOS.

nebrata, ut agnitionem veri Dei, cuius contemptus est fons omnium scelerum, nihil estimarint, sibiq; securè indulserint, & magna licentiâ, præterito creatore, in spurcissimis idololatriæ fœcibus perseverârint. O tristissimam sortem atheistorum, qvibus non visum est, DEUM in agnitione habere! qvot tandem gehennæ, inquit Chrysostomus, illis plectendis suffecerint? Si verò, auditio gehennæ nomine, irrides, ac fidem non habes, recordare illum ignem, qvi est Sodomorum, & gehennæ effigies. 2. prob. ex esse &cū, qvōd Græci fuerint traditi in reprobam mentem, ut facerent, qvæ minimè convenient, qvia fuerunt opulenti omni iniquitati, scorratione, avariciâ, pleni invidiâ, cede, dolo, mal'gnitate, fuerunt susurriones, obreftatores, DEI losores, injuriosi, superbi, gloriosi, inventores malorum, parentibus inobedientes, intelligentiâ carentes, fædificagi, charitati expertes, implacabiles, immisericordes, quod proponitur v. 29. 30. 31.
v. 29.
30. 31.

Objectio VI.

Græci ignorârunt, quod illi, qui talia faciunt, digni sunt morte.

E. Græci sunt excusabiles in judicio summi judicis.

Antecedens probatur seq. Argumento.

Græci ignorârunt δικαιογενεῖς, vel jus DEI.

E. Græci ignorârunt, quod illi, qui talia faciunt, digni sunt morte.

Resp Ap. ad Antecedens negando, qvia Græci agnoverunt jus Dei quod 1. prop v. ultimo. 2. prob. seq. Argumento.

Græci sciverunt, quod non tantum illi, qui talia faciunt, sed etiam eis consentientes digni sunt morte.

E. Græci agnoverunt jus DEI.

Antecedens 1. prop. v. codem ubi οὐσιδοκεῖν, vel consentire inusta facienti significat, illius instituta prava, & scandulosa, confilio, testimonio, conniventia, intempestivâ lenitate, & silentio velatio

CAPUT I.

vel alio quocunq; modo in lege prohibito, comprobare, illis non moveri, nec affici, neq; pro virili anniti, ut is, qvi injuriam intulit, corrigatur, & emendetur. Modi qvibus homo injusta facientibus assentitur, seq; reum facit alieni peccati, & morte dignum, seqventibus versiculis proponuntur.

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo.
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed præcipio, & defendo aliena.

Qvi modi ad duo Capita possunt reduci. Nam alieni peccati participes reddimur, vel committendo malum in lege prohibitum, vel emittendo bonum in lege mandatum.

2. Probatur cap. 2. vers. 15. Ubi opponenti, (Græci non habent legem DEI. E. Græci non sunt morte digni : Græci in novissimo die, in die iræ, & patefactionis justi judicij DEI non condemnabuntur) Apostolus respondet, qvòd Græci habeant legem sibi insitam, ipsi namq; ostendunt, opus legis scriptum esse in cordibus suis, siq;videm cogitationes Græcorum se mutuò accusant, vel excusant. Nam DEUS ipse in naturā hominis hunc ordinem condidit, ut in mente sint notitia legis, gubernatrices actionum, approbantes rectè facta, & condemnantes scelera: Illa tranquillitas qvædam cordis seqvitur: hæc comitatur iræ divinæ sensus, horribilis pavor, anxietas, trepidatio, dolor, formido, cruciatus cordis, conscientia morsus, pavores, & angustiæ, ex metu impendentium malorum, & pœnarum, consternatio animi perpetua, ut sint vindices, & pœnæ impietatis atq;ve injusticiæ, ac testes de futuro judicio, & pœnis infernalibus. In audaciorem divinæ majestatis, & veritatis contemptum, nemo prorupisse legitur, qvàm Caius Caligula; nemo tamen miserius trepidavit, cum iræ divinæ indicium sese proferebat, & sensus legis accusantis, & condemnantis in ipso manifestabatur. Tanta est conscientia malæ carnificina, quando DEUS fulmine iræ suæ ferit peccatores, conscientiam scelerum, & injusticiæ, testem illum infallibilem in pectora circumferentes!

AD ROMANOS.

Noli igitur dicere ô homo, qvid præstat esse probum, & justum? nam qualis jam est status, & Ratio Status, vix optarem esse justus. Ut quisque est justissimus, ita maximè premitur. Animum potius refrena cogitatione futuri mali, & justitiae viam, quâ nulla est tutior, amplectere. Christianorum non est iustitiam illustri specie, & fuso palliare, Diaboli, qui fuit mendax ab initio, & hominis Diabolo, & peccato servientis hoc est artificium. Sine, te non pravis exemplis, & malorum consilio, sed bonis rationibus, ac argumentis, vel justis legibus regi. Vis, & jus maximè discernunt hominem à bestiis: Vis est bestiarum: Jus autem est hominum. Postremus misericordia, & stultitia gradus est, neque alienis, neque suis malis corrigi. Devolvitur quidem justitiae rota, quod trahitur ab illis, qui detorquent jus ad suum arbitrium; Rota verò illa violenter ita in perniciem innocentia conversa ad breve tempus currit. Malum Consilium Consultori pessimum. Justitia ad thronum divinae Majestatis humilimè accedit & gratia sè admissa miserè lamentatur, quod in judicio humano non audit violetur, & opprimatur. Injustitia affecti vehementer lugent, & deplorant injustum judicium. Injuria grave onus est durissimè premens. Injustus non est hæres futuræ gloriae. Vx illi, dicit supremus judex, qui justificat impium, & condemnat justum. Nullus vermis est tam exiguis, quin repugnet pedibus conculcatus. Pilis quoque, uti dici solet, sua umbra est; Dolum malum, omnemque astutam machinationem DEUS videt, eamque non relinquit impunitam. Nam morte, ait Ap. servus Domini nostri Jesu Christi, digni sunt, qui injusta faciunt, & injusta facientibus consentiunt, ac patrocinantur.

25 : 5

Ad Praestantissimum & Dilectissimum
DN. RESPONDENTEM
IN
PAULI ROMANA.

Sit felix! perte sonat alti buccina Pauli
Tu, qvæ Romanis scripserat ille, sapis.
Et nunc in populum vigiles vis mittere
Lunas,

Ne claudas aliis, qvod tibi constat iter.
Gratulor egregios præclari pectoris au-
sus,

Sic pergas claræ currere mentis iter.

Honori & amori virtutis ac doctrinæ
qvod debuit

L. M. L.
AUGUSTUS VARENIUS.

An den Herren Antwortenden.

Seinen liebwerthen Landes-Mann und Tisch-Genossen,
Dich wünsche ihm kein Glück/ auch rühm ich nicht dieß We-
sen/

Mein Herr/ in dem Er von der Heyden Zustand
spricht:

Ein weiser kan ihm selbst sein Glück wol auferlesen/
Der Wein/ so selbst sich lobt/ bedarf des Epheus nicht.

D. Johannes Jacob Döbel.

C 3

Ingenio quantum valeas, documenta probarunt,
Qua Musis nostris prodere Amice soles.
Publica nunc postquam concendis pulpita. **VAR-**
NUS

Praclaras dotes laudat, amatq; tuas.
Divum crescat generose mentis acumen;
Et surges Patria nobile delicum.

In honorem Dn. Respond.
hæc deproperare voluit

M. Hermannus Becker/
Phys: & Metaph: Prof.



*Ad Praestantisimum nec non
Literatisimum*

DN. RESPONDENTEM,

Amicum jucundum.

Velle duas parili simul, Heu! in amore puellas
Creditur insani res malevada proci
HEILGDÖRFFERE duas ambis, pectusq; penitrat
Certatim alterius sollicitudo tuum;
Dum intrepido jungis studio, aspirante Jehova,
Philosopham Famulam, Theiologamq; Deam.
Is rectam HEILGDÖRFFERE viam. Tibi copula felix
Cedet, & hæc frugem est res habitura bonam.
Conjugio Claros tali inter honore vigebis
Philosophiq; boni, Theiologiæ boni.

J. Engel/ Suevo. Col.

Ph. Magist.

Bald

Bald im Lenzzen kan man sehen/
Welcher Baum uns Früchte giebt.
Diz kan auch an den geschehen/
Der stets Kunst und Tugend liebt
Und ein Tugendhaft Gemüthe/
Kennt man in der Tugend Blühte.

2.

Was da wil ein Haake werden/
Krümmt sich/ eh das Ensen kalt.
Der dem Himmel und der Erden
Dienen wil/ erkennt man bald;
Dann/ diz ist der Tugend Eigen:
Sie wil bald hinauffwärts steigen.

3.

Bald da du erst angefangen/
Ben dem Phöbus-Wolct zu steh'n/
Wil ein jeder mit Verlangen/
Deine Kunst und Tugend seh'n/
Bald im Lenzzen deiner Jahren
Wil man deine Kunst erfahren.

4.

Bald im Lenzzen deiner Zeiten/
Die du hier ben uns verbringst/
Muß man deinen Ruhm aufbreiten/
Den du durch die Kunst erzwingst.

Daz ben

Das̄ ben dir die Künste leben/
Muß̄ dir Rostock Zeugniß̄ geben.

5.

So wird stets dein Nahme leben/
Deine Thaten werden dich
Hin biß̄ an die Wolken heben/
Und dein Ruhm lebt Ewiglich.
So wird denn auch dein Bemühen
Durch die Tugend immer blühen.

6.

Gott verspricht dir langes Leben/
Und zuletzt den Eigenthum
Seiner Ewigkeit / zugeben.
Preussen giebt dir steten Ruhm/
Und noch ist in diesem Lenzen/
Weiß̄ Ich/ wird dich Phœbus fränzen.

Seinem geehrten brüderlichen Freunde und
geliebtem Tisch- und Stuben-Genossen schrieb
dieses mit flüchtiger Feder schuldigst
Steph. Verenthal/ ausz̄ Riga
in Lieflland Theol. &
Phil. Stud.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740045776/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740045776/phys_0029)


DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740045776/phys_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740045776/phys_0031)

DFG



Bald im Lenzzen kan man sehen
Welcher Baum uns Frü
Diß kan auch an den geschehe
Der stets Kunst und Zuge
Und ein Tugendhaft Gemüthe/
Kennt man in der Jugend Blühte.

2.

Was da wil ein Haake werden/
Krümmt sich/ eh das Ensen fa
Der dem Himmel und der Erden
Dienen wil/ erkennit man bald
Dann/ diß ist der Tugend Eigen:
Sie wii bald hinauff veris steigen.

3.

Bald da du erst angefangen/
Bei dem Phöbus-Volct zu ste
Wil ein jeder mit Verlangen/
Deine Kunst und Tugend seh' i
Bald im Lenzzen deiner Jahren
Wil man deine Kunst erfahren.

4.

Bald im Lenzzen deiner Zeiten/
Die du hier ben uns verbringst
Muß man deinen Ruhm aufbreiten
Den du durch die Kunst erzvit

